UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

35. An ignorantia censuræ inuincibilis, quæ est annexa casibus Pontificis, impediat reseruationem: Et an hoc exte[n]datur ad naturalem obliuionem, seu inuincibilem aduertentiam? Et an hoc idem ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

Ignorantia invincibilis, vel utcumque vincibilis dummodò crassa, aut supina non sit, seu facti, seu juris tam universalis, quàm particularis, defendit & excusat ab excommunicatione incurrenda: ignorantiâ autem crassa & supina nunquam excusat. Ita Tannerus, Cui adde Cælestinum *in compend. Theol. mor. tr. 3. c. 5. n. 2.* ubi sic ait: Dico primò ignorantia invincibilis sive juris communis, sive particularis, atque etiam facti, excusat ab omni excommunicatione, & hæc habet locum non solùm in excommunicatione, sed etiam in suspensione, & interdicto, quamvis factum sit jure naturali, aut divino damnatum, & pœnæ statutæ sint ab Episcopo, vel à Summo Pontifice. Dico secundò ignorantiam vincibilem culpabilem moraliter, sive sit juris, sive facti, modò non sit crassa, excusare ab excommunicatione, & hoc habet locum, sive excommunicatio sit lata ab Episcopo, sive à Papa. Ita Cælestinus, me citato, ubi, me etiam citato, docet quòd quando lex imponit excommunicationem contra eos, qui scienter aliquid faciunt, vel facere præsumunt, non incurrunt, qui ex ignorantia crassa, supina, vel affectata eam transgrediuntur, quia ignorans non verè dicitur præsumens, præsumptio enim importat dolum, & temeritatem, quod procedit, & verum est in quacumque alia censura lata contra facientes aliquid scienter aut facere præsumentes, non enim ligantur illa censura, quia ex ignorātia crassa, sive supina, sive affectata, sive sit juris, sive facti, violāt legem. Sic ille. Vnde sequitur innumeros non incurrere in censuras; sed circa præsentem quæstionem vide Avilam *de cens. part. 3. c. 5. disp. 5. dub. 8. & 9.* Villalob. *in sum. t. 1. tr. 16. diffic. 12.* Præpositum *in 3. part. quæst. 11. de cens. in genere, dub. 8. per tot.* & Coninch *de Sacr. disp. 13. dub. 11.*

Sup. hoc inf. in §. Nec. hujus Resol. ad lin. 4.

Sup. hjs pro suspensione & interdicto supra in Resol. 32. §. Quæ &c.

Sup. hoc, quod hic docetur, & pro contento in seq §. hujus Resol. inf. in Resol. 36. per totam, & in aliis ejus primæ, & etiam secundæ not.

2. Notandum est etiam quòd post hæc scripta invenio Hurtadum *de cens. in com. disp. 21. n. 92.* contra Sanchez & Coninch docere ignorantiam vincibilem facti impedire incursionem censuræ latæ contra eos, qui scienter aliquid fecerint, etiam quando est affectata, vel adeò crassa, ut mortaliter censeatur intenta, seu affectata, quia quòd fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter, seu cum dolo, quia verè fit ignoranter, & quamvis dicta ignorantia fere æquivaleat scientiæ, seu dolo quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam, quando hæc imponitur cōtra scienter, seu ex dolo peccantes. Et ob eandem rationem excusat à censura lata contra eos, qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos, qui ausu temeratio aliquid fecerint, quia pro eodem sumuntur & idem est aliquid scienter facere, seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere. Et hæc omnia sunt valde menti tenenda.

Sup contento in hoc §. in Resol. not præteritæ.

3. Nec desinam hîc adnotare etiam alterum Hurtadum Salmaticensem *vol. 1. in 2. 2. D. Thom. disp. 83. sect. 5. §. 42* ex doctrina superiùs allata, videlicet per ignorantiam etiam culpabilem, dummodò non sit crassa & supina, aliquem non incurrere in excommunicationem; ex hac, inquam, doctrina observat, sequi eandem omnino esse rationem de actuali inconsideratione inculpata. e. g. * si quis hæresim profert, quam nunquam cognovit esse excommunicatione prohibitam, hic ex authoribus adductis non præstringitur excommunicatione, quia absque culpa eam ignorat: si autem eam aliquando cognovit, deinde quādo hæresim loquitur, est omnino, & inculpatè oblitus excommucationis, in eam non cadit, quia tota ratio malitiæ, & contumaciæ consistit in actuali peccato, ut oritur ab actuali cognitione, vel culpata carentia cognitionis, cognitio enim, vel ejus carentia jam præterita, & nullo modo manens, non sunt causa actus voluntatis existentis illis posterius, sed actuale peccatum, nec oritur cum cognitione censuræ, nec cum ejus culpata carentia; ergo eadem ratio est, ac si nunquam cognitio fuisset. Hæc omnia Hurtado de Mendoza, qui tamen suam sententiam circa præsentem quæstionem explicare noluit.

Sup hoc sup in §. 1 hujus Resol. ad lin. 9

* Sup. hoc in Resol. seq. §. 1. ad med. vers. hoc etiam extendit.

RESOL. XXXV.

An ignorantia censuræ invincibilis, quæ est annexa casibus Pontificiis, impediat reservationem?

Et an hoc extendatur ad naturalem oblivionem, seu invincibilem advertentiam?

Et an hoc idem dicendum sit de aliis censuris, suspensione, interdicto, & irregularitate, si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina?

Et docetur ignorantiam etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnam legis, v. g. excommunicationem, irregularitatem suspensionem, inhabilitatem ad officia ratione simoniæ, & alias pœnas graves. Ex part. 9. tract. 6. Misc. 1. Resol. 13.

§. 1. MVltum animarum consolatoria erit hæc Resolutio: nam affirmativè respondeo. Dico igitur, quòd si quis invincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificiis, non solùm excusabitur ab incursu censuræ, verùm etiam casus non erit reservatus reservatione illa Pontificia: atque ideò poterit absolvi à quocunque Confessario habente jurisdictionem in peccata mortalia hujus rei, qui in tales casus est lapsus. Hanc opinionem sequitur Henriquez *in Summa, lib. 6. cap. 13. n. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 8. n. 5. in fine.* Coninch *de censuris, disp. 8. dub. 11.* Gaspar Hurtado *de pœnit. disp. 11. diffic. 9. in fine.* Trullench *in Bullam, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 1. num. 3.* & Pater Bardi *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 1. sect. 3. num. 27.* qui *in sect. 4.* hoc etiam extendit ad naturalem *oblivionem seu, invincibilem inadvertentiā, citans Suarez, Merollam, Duardum, & alios. Nec obstat dicere, ait ipse, quod si doctrina prædicta esset vera, sequeretur, valdè paucos incidere in censuras Pontificias, & indigere privilegio Bullæ ad obtinendam absolutionem à criminibus Summo Pontifici reservatis: quia, vel ignorant censuras prædictis criminibus annexas, vel naturali oblivione, & inconsideratione illas non advertunt. Hoc autem asserere videtur nimis durum: enervarentur enim omnes reservationes pontificiæ: & ex eo sequeretur, quòd multi ablato timore excommunicationis, & difficultate ad obtinendam absolutionem, faciliùs inducerentur ad talia peccata patranda.

* Sup. hoc Resol. præced. §. 1. lin. 7. & in fine 3.

2. Respondeo, hoc non esse censendum, nimis durum; sed potiùs valdè consonum suavi dispositioni, qua pia Mater Ecclesia regit Fideles, cùm nolit illos, dum non sunt contumaces contra ipsam, puniri pœna adeò gravi, qualis est censura, & præsertim excommunicatione, quæ est pœna inter spirituales, quæ ab Ecclesia imponuntur, omniū maxima: proinde quando Fideles ignorant, vel naturali oblivione, & inadvertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab ejus incursu. Et quia reservatio culpæ omninò dependet ab ipsa censura; idcircò non debet esse mirum quòd quando quis invincibiliter censuram non advertit, casus, qui in reservatione dependent ab ipsa censura, remaneant non reservati.

3. Vnde non desinam hîc apponere, etiam verba Ioannis Præpositi *in 3. part. D. Thomæ, q. 1. de censuris in communi, dub. 8. num. 59.* sic asserentis: [Ex hac sententia sequitur, innumeros non incurrere censuram excommunicationis, quāvis advertant se in aliquo

quo actu peccare mortaliter, etiam contra legem Ecclesiasticam, vel crassa eius ignorantia laborent: quia, non obstante notitia legis, vt est præceptiva, vel crassa eius ignorantia, laborant ignorantia invincibili eiusdem, vt est illativa censuræ, eo quod videlicet, nec quidquam de tali censura vnquam audiverint, nec ex aliquo alio cognito facilè eius notitiam comparare potuerint. Qua ratione plerunque, non solùm rustici, sed etiam alij plebeij à plurimis censuris possunt excusari, quamvis commiserint peccatum, cui annexa est censura. Quare prudens Confessarius non debet statim iudicare tales incurrisse excommunicationem; sed quibusdam interrogationibus debet conari investigare, num eorum ignorantia, respectu ipsius censuræ fuerit invincibilis, quando factum perpetrabant. Quod si deprehendat, ignorantiam fuisse invincibilé, potest iudicare, tales non incurrisse excommanicationem, & si casus sit reservatus propter excommunicationem, potest iudicare in ea circumstantia, casum non esse reservatum, seque posse ab eo absolvere, quamvis alioquin non posset absolvere ab excommunicatione.

5. Imò hîc dicta possunt habere locum in variis Religiosis, qui excommunicationes non ita facilè possint cognoscere, qui proinde possunt ab iisdem excusari. Idem dicendum de variis suspensionibus, quarum ignorantia potest esse invincibilis, etiam respectu Clericorum, & proinde si Confessarius ex circunstantiis possit adverterè aliquem, etiam Sacerdotē, laborasse ignorantia invincibili, quòd suspensio esset annexa actui, quem exercuit, poterit iudicare talem non incurrisse censuram.] Hæc omnia Præpositus.

6. Et tandem non desinam hîc adnotare ea, quæ observat noviſſimè Magister Serra *in part.* 2. D. Thomæ, *tom.* 2. *q.* 76. *art.* 3. *dub.* 2. sic enim ait [Tertia sententia est, ignorantiam mortaliter culpabilem, tam facti quam iuris communis pontificij, quam etiam censuræ, excusare non solùm à pœna excommunicationis; sed etiam à cæteris omnibus aliis censuris, suspensione, interdicto, irregularitate, &c. Si tamen ignorantia non sit crassa, vel supina. Hanc tenent recentiores permulti. Probant ex cap. *Cùm animarum de const. in* 6. vbi sic dicitur: *Vt animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Vbi per sententias, Glossa intelligit quæ ligant animam, vt locum habeat proxima ratio. Cùm autem huiusmodi sint non solùm sententiæ excommunicationis, sed etiam aliarum pœnarum spiritualium, ac censurarū, suspensionis, interdicti, irregularitatis, &c. de his omnibus *ibi* est sermo; & nulla est ratio, ob quam ad solam sententiam excommunicationis restringatur. Quod *ibi* dicitur, per statuta quoruncumque Ordinariorum intelligenda etiam esse Statuta Summi Pontificis colligitur, quia, vt ait Sylvester, *verbo ignorantia*, *q.* 8. Non dixit, quoruncumque Ordinariorum locorum; cuiusmodi sunt Episcopi secundùm glossam; sed quoruncumque Ordinariorum simpliciter, vt includeretur etiam Papa, qui est omniū Ordinariorum Ordinarius. Et præterea, quia de his eadem est ratio, vt scilicet, periculis animarum obvietur, imò maior, quia Papæ statuta plures ligant, & minùs publicantur, vt *ibid.* ait Sylvest. Denique cum ignorantia crassa, & supina, vt patet ex dictis *art.* 1. ab ignorantia vincibili distinguatur, hæcque sine illa esse possit: nam ad ignorantiam vincibilem sufficit, ignorare, quod homines nonnullam suæ salutis curā habentes, communiter sciunt; ad crassam vero, & supinam requiritur ignorare, quod omnes communiter sciunt, & vt procedat ex nimia negligentia, & lata, aut latissima culpa in adhibenda diligentia: constat autem non solùm hoc, sed etiam primum ignorare posse, & vtrumque esse mortaliter culpabile: sequitur, quòd ignorantia mortaliter culpabilis poterit à pœna excusare.] Hucvsque Serra, qui postea asserit, omnia supradicta satis probabilia esse; & ideò subdit: [Excommunicatio autem, suspensio, interdictum, ac eiū irregularitas, pœnæ sunt extraordinariæ, quæ non sequuntur ex culpis secundùm se, & absolutè sumptis; sed ratione gravitatis superadditæ ex contemptu earum, & contumacia. Cumque ab hac gravitate, contemptu & contumacia excuset ignorantia, quæ non est crassa, aut supina; etiam ab incursu talium pœnarum excusare asserit tertia sententia.] Ita ille, qui tandem etiam notat, quòd, quando lex apponens pœnam, requirit, vt delictum fiat scienter, si fiat ex ignorantia, non incurrit pœnam: nam ignorantia excusat à qualitate, vel gravitate delicti, ob quam fuit pœna apposita. Solet lex scientiam requirere, aut verbis expressis, vt cum dicit, *si quis scienter*: vel æquivalentibus, vt cum dicit, *si quis præsumpserit*; aut *si quis temerè*, &c. Tunc autem, qui delinquit ex ignorantia etiam crassa, vel supina, non incurrit pœnas: quia vt ait Caietanus 2. 2. *q.* 53. *art.* 3. verba iuris non frustra apposita, nec impropriè sumenda sunt. Apponerentur autem frustrà prædicta verba, & non cum proprietate restrictiva sumerentur, si pœnæ incurrerentur à delinquentibus ex ignorantia saltem crassa. Ignorantiam affectatam quidam existimant non excusare à pœnis statutis, etiam contra scienter delinquentes: nam nihil minuit de culpa, & idem est peccare ex ignorantia affectata, ac ex certa scientia. Aliis oppositum videtur probabilius: nam Superior illis verbis exigere videtur certam, & expressam scientiam, ac ingentem temeritatem, præsumptionem, vel contemptum, quibus caret, qui peccat ex ignorantia, etiam affectata.

Sup. hoc in Resol. not. seq. § vlt. & in aliis eius annot.

Sup. hoc in Resol. seq & in aliis §§. eius primæ not.

7. Vnde ex his omnibus, quæ magister Serra observat, & de quibus ego etiam *alibi*, Confessarij in casibus occurrentibus multa scrupula evanescere faciēt, & consolationem Pœnitentibus afferent. Et ne deferas recognoscere, me citato, Quintanaduenas *tom.* 1. *tr.* 9. *sing.* 6. *n.* 4. & Ioannem Præpositum, *in part.* 2. *q.* 95. *disp.* 5. *dub.* 5. *n.* 18. vbi docet, ignorantiam, etiam vincibilem, dummodo non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnas legis, v.g. excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatē ad officia, ratione simoniæ, & alias graves pœnas. Et nota, omnia supradicta, tanquam probabilia, me citato, docere etiam Patrem de Lugo, *de princ. Theol. mor. p.* 2. *c.* 4. *q.* 3. *n.* 33. *& seqq.* omninò videndum.

Alibi in omnibus Resol. annotationum §. præteriti huius Resol.

Sup hoc sup. in §. Et tandem, huius Resol. & latissimè in Resol. præterita & in aliis eius primæ not.

RESOL. XXXVI.

An excommunicatio lata contra scienter aliquid facientes, afficiat contravenientes ex ignorantia affectata, sive sit iuris, sive sit facti?

Ex quo infertur legentes libros Hæreticorum ignorantia affectata non incurrere excommunicationem latam in Bulla Cœnæ, quæ fertur contra scienter legentes.

Etiamque deducitur à fortiori non incurrere in censuram, qui ex ignorantia crassa, sive sit iuris, sive sit facti, violat excommunicationes latas contra scienter aliquid facientes, vel præsumentes facere. Ex part. 3. tract. 6. & Misc. 2. Resol. 7.

§. 1. AFfirmativam sententiam tenet Layman; *in Theol. mor. l.* 5. *tr.* 5. *p.* 1. *c* 5. *n.* 8. Suar. *in* 3. *p. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 2. Henriq. *l.* 13. *c.* 23. *n.* 3. Sanchez, *de matr. l.* 9. *disp.* 32. *n.* 40. Molina, *tr.* 5. *disp.* 71. *num.* 13. Graffius *in dec. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 9 *n.* 83. & alij penes ipsos. Et ratio est, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, vt patet *in c. eos qui, de temp. ord. in* 6. ibi *scienter seu affectata ignorantia*, vbi glossa, *in verſ. scienter.* Hæc opinio est probabilis.

Sup. hoc sup. in Resol. 33. §. vlt & in Resol. 34. §. 1. post med. à vers. Ita Cælestinus. & seq. & in Resol. 35 §. Et tandem curſim in fine & inf. in tract. 2.

2. Sed